

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Aliqvot // [Aliquot] Epistolæ Reverendi // Patris Piæ  
Memoriæ D. // Martini Lutheri quibusdam Theologis // ad  
Augustana comitia Anno 1530 scri//ptæ**

**Luther, Martin**

**[S.l.], 1549**

**VD16 L 3724**

Doct. Mart. Luth. ad Philip. Melanth.

**urn:nbn:de:bsz:31-61767**

DOCT. MART. LVTH.  
ad Philip. Melanth.

**V**alde affligor quòd non licet corpore uobiscum adesse in ista pulcherrima & sanctissima confessione Christi. Staupitius nos-  
ter dicebat, **Wen Gote blenden wil/dem thut er zuor die augen zu. Zu scharff wirt gern schertig.** Ego sane nihil moror istum pretextum, quod Eucharistia seu gratitudinis causa liceat institui Missam. Fregit Ezechias serpentem aneum nihil moratus, quod in memoriam & laudem operis diuini formatus fuisset, Magis spectauit pius rex certum abusum & occasionem malam, quam dubium & incertum fructum laudis. Et nostri, cum hactenus pessimis exemplis suis sint abusi, neq; adhuc poeniteant, frustra postulant eis permitti retinendas. Quia fucus eorum est manifestus & impoenitens, proinde & euidentis mendacium. Quamuis ut prius scripsi nihil recti querunt, sed abominationis Tyrannidem affectant integram. Restituant primum fidei doctrinam & operum, post de Ceremonijs uiderimus. Reddant primum Ecclesiam & ministros cum legitimis suis officijs & traditiones sponte sua se dabunt, Poterit Eucharistia aliter & absq; periculo & scandalo haberi in Ecclesia.

Nimis

Nota.

Nimis insignem & certam reddit uestram pietatem & innocentiam illa manifesta Sathane impudentia, qua postulat à uobis omnia restitui, hoc est, ut Deum negetis, papam uero adoretis, Et omnia monstra affirmetis, quæ ipse per illos creauit, tantis homicidijs, mendacijs, blasphemijs. Hic mille corpora pro Christo tradenda essent à quolibet nostrum.

DOC. MART. LVTHE.  
ad Philippum Melanthonem.

6.

**G**Ratiam & pacem. Iam tertio uel quarto de traditionibus mihi scribis, mi Philippe, & uel ego te non intelligo uel tu disputas de impossibili, scilicet an Bernhardus iam recte sentiens possit sibi certam obseruationem eligere et dicere, Hoc sit cultus Dei, Gloria & laus Dei, uel pro gratijs agendis Deo? Est plane casus impossibilis manifestam implicans contradictionem. Nam dicere, Hoc esto cultus Dei uel λατρεία, non est Bernardi, Sed unius & solius Dei. Quare Bernhardus recte sentiens nunquam poterit dicere, hoc sit cultus Dei, aut desinit recte sentire. Quid enim hoc esset aliud quam se extollere supra Deum & Scasmata cuncta? Et quid aliud prohibet primum præceptum & uniuersi Prophetæ quàm eiusmodi cultus